



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Collegium Universi Juris Canonici**

**Engel, Ludwig**  
**Salisburgi, 1693**

9. De Apostatis, & reiterantibus baptisma.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61596)

cau Episcopo dispensare conceditur. c. 2. & ibi Gloss. h. t. Altero autem casu deficientibus substantialibus deficit quoque ipsum Sacramentum Ordinis. Eodem modo de aliis Sacramentis discurrendum est, ut à schismaticis prius in Ecclesia ritè ordinatis validè conferantur, si formam Ecclesie observant, excepto Sacramento penitentiae, quod extra articulum mortis à schismatico validè non confertur, quia requirit jurisdictionem, à qua schismaticus propter excommunicationem suspensus est. Demum adnotari potest, non esse schismaticum proprie, nec poenis schismaticorum subiacere, qui resistit Pontifici, non quatenus Pontifici, sed quatenus privato, particularem aliquam inimicitiam contra ipsum aut ejus familiam gerens, vel circa unum particulare tantum mandatum propter ejus difficultatem Pontifici non obedit in ceteris paratus obedire, quod ex data superius definitione schismaticis latè colligi potest. Item neque is inter schismaticos numerandus est, qui tantum se segregat ab Ecclesia particulari, v. g. obedientia certi alicujus Episcopi, paratus summo Pontifici obtemperare, quia schisma est separatio ab universali Ecclesia, sicut docet Laym. in Theolog. morali lib. 2. tit. 3. c. 11. sub. n. 4. & 6.

—•••••—

### TITULUS IX.

#### De Apostatis, Reiterantibus Baptisma.

SUMMARIUM.

1. Apostasia triplex generi, à fide, ab obedientia, à religione, vel s. Ordine.
2. Apostasia à fide quomodo differat ab hæresi.
3. Quomodo committatur Apostasia ab obedientia?
4. Quid sit apostasia à Religione, & quomodo differat à fugitivo?
5. Pena huiusmodi apostasia est excommunicatio.

6. Quatenus licet aliquando recidit fore habere Religiōis vel deponere?
7. Clerici habitum vel togam deferre solent, ab ordine committente distantur.
8. Rebaptizantes & rebaptizati sunt anathemati.

**A**postasia idem quod retro aliter dicitur, & interpretatur in c. non ubi vetis. 16. vers. qui autem tunc 26. q. 7. Estque Apostasia, ut eam communiter dividunt Doctores, triplex, videlicet apostasia à Fide, ab Obedientia, à Religione, vel sacro ordine.

Apostasia à Fide quamvis omnia delicta dici possit, proprie tamen dicitur ab heresi, quod hæreticus credit in Christianam tantum in quibusdam articulis à Ecclesia Catholica dissentiat: Apostasia propterea à fide Christiana ad infidelitatem, v. g. Paganismum aut Judæismum dicitur, propterea poenæ hæreticorum imponitur. Tit. de Hæreticis enumerantur, non tantum etiam in Apostasia locum habent, sed quæ quædam exasperari solent pro gravitate delicti.

Apostasia ab obedientia generaliter dicitur de omne peccatum dici potest, quia peccatum non obediunt Deo & præceptis eius: non verò proprie Apostasiam ab obedientia committit, qui formaliter, & ex contumacia priori humano præcipienti legitime resistit, & obedire penitus recusat. Quod à superior quatenus talis, tunc hæc Apostasia schisma dicitur, ut priori Tit. explicatur, atque huc referri possunt, quæ circa obedientiam superioribus præstandam dicitur Tit. 33. de Majorit. & obedientia.

A Religione dicitur Apostasia, quæ religionem aliquam professus, non tantum Monasterium, sed omnia etiam reliquit, & in mundo tanquam secularis vel Laicus versatur cum animo non tantum quam ad Religionem redeundi: si quis

hinc ad tempus vagaretur sine licentia Ab-  
batum, fugitivus potius, quam apostata cen-  
setur.

Penam hujus apostasie tradit Miranda  
in *Manuali Prælat. tom. 1. quæst. 11. c. 2.*  
Quod juxta privilegia Regularium tam Re-  
ligiosus apostata, etiam si habitum retineat,  
quam ille, qui eum recipit, occultat, aut  
ascendit, excommunicationem incurrat.  
Notanter autem dico: *juxta privilegia*  
*Regularium*: nam in corpore juris com-  
munis non est quidem dubitandum, quin ta-  
lis Religiosus possit & debeat apprehensio-  
ne corporali, vel aliis mediis compulsoriis  
deficientibus per censuras Ecclesiasticas  
cogad Religionem redire. *c. quanto 7. de*  
*Offic. Jud. Ordinari. & c. ult. de Regulari.*  
Id quod ipso facto ante sententiam judicis  
ipso si habitum retinuerit, vel ejus fautores  
excommunicationem incurrant, non repe-  
tio expressè constitutum, & ideo, quia talia  
particularia privilegia non obtenta in jure  
communis paucis sunt cognita; imò fortassis  
non singulis Ordinibus concessa, plerumque  
ignorantia à tali excommunicatione excula-  
re potest, *argum. c. 1. & 2. de Constitut. 6.*  
Hoc autem habetur in *c. 2. Ne Clerici vel*  
*Monachi in 6.* quod Religiosi temerarie  
dimittentes habitum suæ Religionis ipso  
facto sententiam excommunicationis (quæ  
tamen non est de reservatis) incurrant. Dici-  
tur vero *temerarie dimittentes*: id est,  
causa evagandi, ut insinuat in *princip. d. c.*  
*2. vel alias excomemptu.* Secus autem, si  
dimisso habitus fiat ex aliqua causa, v.g. so-  
mni & quiescis, balnei & infirmitatis, colo-  
ris, &c. Imò etiam minus justam & hone-  
stam causam excusare ab excommunicatione,  
si ob eam ad breve tempus dimittatur ha-  
bitus, refert Barbanus eodem *c. 2. n. 8. & 9.*

Præterea licet in Concilio Trid. *sess. 25.*  
*de Regular. c. 9. in fin.* prohibeatur, ne ali-

cui regulari datur licentia occultè ferendi  
habitum suæ Religionis; quòd etiam ad  
eum casum extenditur, quo Religiosus vel-  
let habitum suæ Religionis cooperire habi-  
tu Clericali, *Clement. 2. de Vita & honest.*  
*Cleric. ibi Gloss. in verbo. extrinseci.* In-  
terim quia ista lex non divina, sed humana  
est, quæ non obligat cum gravi corporis pe-  
riculo, ideo condemnandi non sunt Religio-  
si, qui transeuntes per loca hæreticorum vel  
infidelium, ubi ipsis tale periculum immi-  
net, occultè ferunt habitum suæ Religionis,  
vel necessitate ita cogente profusus ad tempus  
aliquid deponunt.

Porro sicut Religiosi à Religione, ita Cle-  
rici ab ordine apostasiam committunt, qui  
habitum & tonsuram Clericalem deserunt.  
Non tamen reperitur excommunicatio ipso  
jure illata, sed ab Episcopo pro excessu puni-  
ri, & per censuras, vel alia media ad reassu-  
mendum habitum utique compelli possunt  
& debent; nisi fuerint Clerici in Minori-  
bus, quibus liberum est à Clericatu recedere.  
Alia autem poenæ, ut suspensio à beneficio,  
vel inhabilitas ad beneficia contra Clericos  
magis sæculariter, quam Clericaliter inceden-  
tes videantur in *d. Clement. 2. de Vita*  
*& honestat. Cleric.* Utrum verò Clerici  
dimittentes habitum & tonsuram hoc ipso  
perdant privilegia Clericalia, dicemus inferi-  
us in *Tit. de Sentent. excommunicat.*

Altera pars rubricæ hujus tit. est *de Rei-*  
*terantibus baptisma*: sunt enim certi hæ-  
retici Anabaptiste dicti, qui hominem se-  
mel in infantia baptizatum in adultiori æta-  
te, ubi ipse proficere fidem potest, denudò re-  
baptizant, quod grave sacrilegium cense-  
tur, & ideo de jure civili scienter rebap-  
tizans & rebaptizatus ultimo supplicio puni-  
untur. *l. 1. & 2. C. Ne sanctum baptis-*  
*ma reiteretur.* De Jure Canonico bap-  
tizans & baptizatus est irregularis, & Cleri-

cus deponitur, Laicus verò excommunicatur, *cap. 2. h. t.* Quando autem is, de cuius baptismo dubitatur, possit iterum baptizari sub conditione, si non est baptizatus, &c. dixi supra in *Lib. III. ad Tit. de Baptismo.*

\*\*\*\*\*

## TITULUS X. De His, qui filios occiderunt.

SUMMARIUM.

1. Quid sit Parricidium? Et quando ab eo parentes occidentes liberos, vel contra excusentur?
2. Poena Parricidii de jure Civilis & Canonico.
3. Poena feminarum partum necantium.
4. Poena parentum, qui infantes in lecto opprimunt inter dormiendum; qui tamen nonnunquam à culpa excusantur.

**I**N hoc & aliquot sequent. Titulis agit Compiler de homicidio, & ejus speciebus. Propter gravitatem delicti præmittit istum, in quo de *Parricidio* tractatur.

1. *Parricidium* enim quasi parenticidium propriè committitur, si vel parentes liberos, vel liberi parentes occidant. Impropriè autem etiam *parricidium* dicitur inter collaterales & affines, puta fratres, sorores, patruos, consobrinos, uxorem, virum, nulum, generum, vitricum, & privignum. Limitatur autem, *parricidium* non committi etiam in parentes & liberos, si in patriam perduelles fuerint: *Minime* enim, ait notabiliter J. C. in *l. minime. 35. ff. de Relig. & sumpt. fun. Majores lugendum putarunt eum, qui ad patriam delendam & parentes & liberos interficiendos venerit, quem si filius patrem, aut pater filium occidisset, sine scelere, etiam præmio afficiendum omnes constituerunt.*

2. Cæterum olim de jure Civili, si quis patrem aut matrem, avum vel aviam, aut liberos occidisset, inclusus culleo (sive sacco ex

corio confectio, ut putat Gotofredus) canebatur & gallo gallinaceo, vipera & similibus jiciebatur in mare vel aliam aquam. Item alios confanguineos, vel affines occidit, poenâ capitali latrocini afficiebatur. *Leg. 9. ff. Ad l. Pomp. de Parricidii.* Et in *Cod. de his, qui parentes vel liberos occiderunt.* De Jure Canonico occidens filium in monasterium detrahebatur ad poenam perpetuam poenitentiam, *c. 1. h. t.* Hæc autem de Jure Civili poenam projectionis in aquam non esse in usu, refert Joan. Casp. in suo *Lexico Juris* in verbo, *parricidium* sed aliam pro qualitate circumstantiarum gladium, vel rotam, cui interdum adduntur forcipes candentes. De Jure Canonico similiter poena est arbitraria pro excotho quæda vel minuenda.

Frequenter committunt *parricidium* minæ ex delicto prægnantes, quæ ad occidendum peccatum, aut per medicinas partum procurant, aut partum in utero, vel editum comprimunt, suffocant, aut in aquam projiciunt, quarum etiam poena capitalis, si vel partus vivus occiditur, vel abortus tempore fuerit procuratus, quo factus abortus existens jam animatus erat, ut in *Capitulum tomibus penal. Carol. V. n. 137.* Et in *l. si quis. 38. ff. de Pænis.* De Jure Canonico poena iterum est arbitraria, si Clericus etiam levi culpâ, v. g. proprehendendo mulierem prægnantem, dederit abortui, efficitur irregularis, *c. 20. de Homicidio.*

Præterea etiam istud non raro accidunt matres parvulos infantes secum in lecto ponant & inter dormiendum opprimunt. Quare ob frequentiam hujus peccati in quibusdam Diocælibus oppressio in lecto casus reservatus Episcopo. Eius poenitentia casus reservatus Episcopo. Eius poenitentia casus primus debet agi in pane & aqua.